



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Christus crucifixus, cithara Patris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

bus & sculpturis opus est, si eò denique adducendus sum, ut etiam rudis tanti exemplaris effigies, atque imperfectum simulacrum existam! At nimirum hoc ipsum tantum est, ut vel eà causâ, nihil quamlibet durum atque acerbum sit refugiendum. Hic igitur tunde, Deus, hic seca. Configuremur nunc imagini viri dolorum, ut in eandem cum illo imaginem postea transformemur in gloria.

Ex his porrò, quæ per plura capita, quadam argumenti connexionem, disputata sunt, facile erit animadvertere, in vox una Prophetæ Evangelici, quâ Christum à Deo percussum dixit, quàm variam nobis piæ commentationis materiam suggerat, ad exaggeratam inter quævis adversa patientiæ, ex Domini nostri imitatione, informationem. Quippe cum secundum istud exemplar, nos quoque (uti dicebamus) percuti, tundi, incidi oporteat; sive ut lapides, celestis destinatos ædificio; sive ut adamantes, divinæ coronæ inferendos; sive ut nummos, futuros æternitatis pretium; sive ut botros, dulcem Deo laticem propinatuos; sive ut marmora, in Crucifixi figuranda effigiem; sive (quod extremum proximo capiti reservavimus) ut citharas quasdam, ipso percussu, sanequam suavem Deoq; jucundam harmoniam elaboraturas.

CAPUT XXIV.

Christianam in adversis patientiam, harmoniam esse divinis auribus jucundissimam.

§. I.

Christus crucifixus, cithara Patris.

Atque ut susceptæ commentationi id tanquam fundamentum præstruam: video sanctis Doctoribus familiarem

harem atque jucundam eam cogitationem fuisse, ut vel Christum in cruce distentum, vel ipsam crucem cum Christo in ea extenso, veluti divinam quandam citharam aspicerent, cujus sonus & Deum oblectet, & malignos spiritus fuget, & homines ad ipsius amorem imitationemque convertat.

Inprimis enim S. Augustinus in illa verba psalmsi 56. *Exurge psalterium & cithara*, ait: carnem Christi humana patientem, citharam esse; cujus suavem harmoniam insonuisse praesertim, dum in passione percuteretur, satis indicat, dum subdit: *Sonet cithara, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur.* Expressius autem B. Prosper: *Si (inquit) Christi Domini citharam respicias personantem; quam ligno crucis, carnis membrorumque, suorum chordis aptatam, plectro dum tangit sancti Spiritus, ipsum quoque diabolum fugavit de cordibus inimicorum, pro quibus in cruce suavem illum sonum protulit, dicens: Pater ignosce illis.* Quam etiam allegoriae rationem in Davidica cithara, figuram crucis Christi per lignum & chordarum extensionem (ut ipse ait) mystice gerente, observat Hugo de S. Victore: itemque Thaulerius, in explicatione Dominicae passionis, his verbis: *Vide, Pater amantissime, Filium tuum totum in crucis cithara extensum, cunctisque membris suis te benedicentem. Jam plane fidelis David citharam corporis sui maxime intendit, suavissimam tibi edens melodiam, & gratissimam, quae unquam tibi cantata sit, concinens cantionem; Pater (inquiens) ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Postremo & expresse admodum S. Bernardus libro de Passione Domini cap: 8. ubi animam, Christi sponsam, alloquens, eundem citharae heptachordae comparat in haec verba: *Cithara (inquit) tibi factus est Sponsus; cruce habente formam ligni, corpore autem vicem supplente chordarum, per ligni planitiem extensarum. Nam nisi ligno affigeretur, nequaquam verborum sonum ederet tanquam citharizans, quibus amplius delectareris. Septem chor-*

das

*De prom. p.
2. c. 25.*

*Alleg. l. 6. c.
2.*

cap. 16.

das (subdit) *habet citharam*: & quæ sequuntur. Pergit enim pluribus per totidem capita, septem verba à Christo in cruce prolata, tanquam septem illius divinæ citharæ chordas considerare. Horum igitur Sanctorum mente ac disciplinâ informatus; imprimis inter dolorum tuorum morsus ac sensus acerrimos, ad Christi in cruce suffixi, miserabilem effigiem (quæ similes in usus penes te sit) per intervalla refer oculos, & modulorum ejus citharæ divinæ suavitatem, malorum tuorum acerbitatem aut fallere, aut mitigare consuece. Intuere attento lumine concinnum illud divinitatis organum; ejus membra omnia articulósque singulor pensulatiùs contemplare. Aspice, ut illius chordæ, hoc est, sanctissimi ejus corporis nervi, clavorum ope, apte extenti distentiq; sint, & ad perfectum concentum harmoniámque compositi. Attende perfossi lateris apertum vulnus quod rosæ instar, eruditæ manûs artificio elaboratæ (prout in testudine assolet); tanquam organi medium obtinet, ad gratam quandam melodiæ, eo repercussu, temperationem. Verùm quàm peritus tangendi artifex æternus Pater, qui dexteræ suæ digito, id est Spiritu Sancto, divini hujus instrumenti nervos percutit, & fides sollicitat, uti & illa felicissimâ harmoniâ, filij inquam sui, tot inter cruces & acerbitates, compositissimâ suavissimâque patientiâ, reliquarúmque ejus virtutum contemperazione & quasi concentu, oblectet; animósque nostros divinatorum illorum modorum suavitare captos trahat ad sese, & imitandi (quoad ejus fieri poterit) cupiditate incendat.

Porro divinum melos, quod in crucis ligno dissonus & percussus à Deo Christus edidit; vel ille est virtutum in Christo tanquam concentus, & inter tormenta animi moderatio, & (ut ita dicam) modulatissima æquabilitas; vel, quod S. Bernardo placere vidimus, septem extremæ Christi voces; quas veluti septem vocum discrimina, totidem citharæ

tharæ chordis respondentia, aut (ut ipse ad B. Mechtildem *L. 3. c. 1.* Christus loquitur) ut septem miræ suavitatis cantica, ad crucis citharam in amoris thalamo cecinerit; & quibus animo comprehensis atque retentis, germanos Crucifixi amatores, ærumnas suas atque dolores consolari voluerit.

Hoc igitur nunc age; & quando, ut inquis, tui te dolores intolerabiliter cruciant; omissis vanis avocamentis, ad hujus citharæ suavitatem aure cordis admotâ, hinc sume certa patientiæ Christianæ magisteria, hinc malis tuis non inutile delinimentum, inde molestiarum atque dolorum allevamentum require. Perspicias tandem, mihi crede, quid distent humanis divina solatia, neque ullum esse tantum dolorem, cui non similibus piæ mentis exercitijs, ubi ijs paulum assueveris, medicinam aliquam atque levamen invenire possis. Hoc primum.

§. 2.

Nos etiam, ceu *DEI* citharas, & variè tangi, & *DEO* dulcem de nobis melodiam reddere debere.

DEin ad uberius istius piæ cogitationis operæ pretium, illud insuper tecum statues: te quoque dum aliquid pateris, Salvatoris exemplo, instar divinæ citharæ esse debere. Sic enim rursus, sed alio in loco de nobis ipsis sermonem faciens S. Augustinus: *Cum aliquid (inquit) patimur In ps. 42. tribulationum, tentationum, scandalorum in terra, cithara est.* Cui itidem consonans Hugo de S. Victore, Annotationum in psalmos cap: 65. cui titulus est, *De citham spirituali;* ejusmodi citharam mysticè describens, ait: *Chordam esse hominis justî corpus, quod maceratur & tenditur, inter pœnam carnis, & dolorem cordis: clavos esse timorem DEI, ejusq; amorem: plectrum autem, gr̃tiam.* Denique sicuti chorda siccat & tenditur, ut sonitum reddat; ita hominis carnem oportere, sicari per abstinentiam, tendi per patientiam.

F f f f

Addere